quod lucas dicit quod duodennis remansit in iherusalem et post triduum inventus est
a parentibus in medio doctorum in templo, legitur tamen in libro de infancia
salvatoris quod ihesu fugiente in egyptum, cum sub una palma recubuis-
sent beata virgine matre pueri fame laborante ad preceptum pueri
se palma usque ad terram inclinavit. Et post collectionem fructuum eius
ad pristinum statum se palma erexit et eciam sitiente ioseph ibidem
ex precepto pueri ihesu, arida terra fontem produxit. Legitur
eciam ibidem quod cum in eodem itinere more cuiusdam spelunce hos-
pitati fuissent de eadem spelunca, duo inmanissimi dracones sunt
egressi ad quorum conspectum dum beata virgo et ioseph nimio terrore
concuterentur, ad preceptum pueri ihesu dracones cum omni mansuetu-
dine inclinatis capitibus deserta pecierunt. Et quod eciam omnis leo in ipso
itinere adveniens usque in egyptum ipsis obsequiosus fuit. Eadem eciam
die ut dicitur magi adoraverunt, revoluto anno quasi xxx

xpus baptizatur hic, et hoc eodem revoluto anno, ut fertur con-
vertit aquam in vinum

xpus crucifigitur. Et eodem anno mense augusti tercia die stephanus
lapidatur Et de saulo paulus efficitur. Post passionem domini anno
sequenti beatus petrus apostolus filius iohannis provincie galilee
de vico Bethsaida frater Andree tenuit sacerdotalem kathedram in
partibus orientis annis quatuor et primam missam celebravit dicen-
do solummodo pater noster. Deinde venit Anthiochiam anno xxxviii° nati-
vitatis xpi ubi kathedram adeptus est. Sedit annis vii. Inde venit
Romam ubi xxv annis mensibus vii et diebus viii pontificatum
tenuit. Hic scripsit duas epistolas que canonice nominantur et ewan-
gelium Marci quia eius auditor fuit et filius de baptismo. Hic eciam fecit ordi-
naciones Septembri episcopos iii presbiteros x et dyaconos vii. Anno
eciam domini xl° Matheus ewangelium scripsit. Et anno xliii° Mar-
cus ewangelium edidit et fames valida fuit per multas provincias [illegible]
petrus Apollinarem mittit ravennam que tunc in potencia magnitu-
dine et frequencia populi post romam famosior erat [illegible]
Marcum [illegible] interpretem suum posuit in ytalia

[illegible]